

prout alias maligni facile calumniari potuissent, Salmeron quoque causam declarat, cur miraculum hoc non simul eodem tempore fascias illas reperit et solverit: « Quia solutio non erat opus super naturam, ideo his qui presentes aderant, illum dimisit, ut intelligamus, ibi tantum præstolandum divinam potentiam, ubi humana defuerit industria. » S. Ambrosius vero aliam quamdam insinuat rationem mysticam, nimirum: « Ut ista fides infunderetur infidelibus, ut per gradus quosdam credulitatis nasceretur. »

12. — Ex communi sacrorum interpretum expositione verba illa intelliguntur de solutione vinculorum peccati. S. Thomas ait: « Ut autem solvantur peccata ejus, ministris mandatur ut solvant eum et sinant abire; nam quem Christus per seipsum interius vivificat, discipuli solvant, quia ministerio sacerdotum vivificati absoluntur. » Albertus Magnus super hæc verba scribens, præceptum hoc Lazarum solvendi ad Apostolicos immediate directam esse dicit: « Discipulis suis, quibus in Petro dixit: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis; quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis.* » S. Cyrillus Alexandrinus inquit: « Si enim mens nostra tanquam Lazarus mortua sit, oportet cum confessione molem carnis materiam et venerabilem animam tanquam Martham et Mariam accedere ad Christum et deprecari. Et ille astans impositam memorie tolli jubebit duritiem et calumiam, et clamabit magna Evangelicæ tubæ voce. » Et solvet peccatorum calenas. » S. Augustinus quoque verba illa specificè de absolvi potestate intelligi, dum ait: « Quæ solveritis in terra, soluta erunt et in caelo. » S. Antonius de Padua ex hoc Christi præcepto, *Solvite*, deducit, nullum peccatorem, quantumvis obstinatus sit et impius, excusare se posse, prætextando, quod ad poenitentiam resurgere non possit: « Excusat se peccator, quod non potest, quia est ligatus: *Funes peccatorum circumplexi sunt me*, sed Dominus præcipit: *Solve vite eum*. Gratia quidem solvit interius, dum scilicet de tuis peccatis confiteris sacerdoti: *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu propitiaberis peccato meo*; et tunc poteris progredi per bona opera. »

13. — Quod porro Salvalor ad hæc vinculorum solutionem alios adhibere voluerit, ideo hoc ipsum fecit, quia videlicet vincula et funes culpæ solvendi potestatem alios delegare jam decreverat. Unde Salmeron ait: « Opus est ministris solventibus, id est, sacerdotum absolute. Non debent facile absolvere, nisi constet eos egressos de spelunca et de lapide revolutos, consulendo ut prius restituant aliena quæ relinunt et prius parcent inimicis suis, si quid forte offenderunt. »

#### Et sinite abire.

14. — Toletus Christum jussisse dicit, ut discipuli Lazarum abire sinerent, ut ab omnibus circumstantibus aliisque Bethaniam incolentibus videretur, ut tanto evidentius fieret miraculum, magisque manifestaretur: « Commodior enim singulis dabatur occasio videndi, si non in uno loco staret et vero vitæ receptæ, ipse incessus majus et illustris erat argumentum. Omnia enim hæc facta sunt, ut omnis calumnia et falsa suspicio tolleretur. »

15. — Lucas existimat, quod Lazarus premissa prius Christi devota adoratione Christi jussu perfecte obediens in viam se protinus receperit: « Relinquit intelligendam, Evangelista videlicet, quod solutus vinculis abierit a sepulchro amicis syndone super nudo, spectantibus presentibus omnibus et præ lætitia ac gaudio, reique magnitudine stupefactis; et primum quidem Jesum autorem vitæ sibi restituta recognoscens, proliquis adoraverit. »

16. — Chrysostomus, *Hom. lxxii in Joan.*, hæc a Christo Apostolis datam commissionem, qua ut ipsum abire sinerent jubebantur, summæ Christi humilitati et modestiæ attribuendum esse scribit: « Intuere quod nullam gloriam expectat, non ducit eum, non jubet eum secum esse, ut rem ostendat facto miraculo. »

17. — Ex quo sepulchrum locum denotat peccati, et præcipue illius, quod jam habitatum et in consuetudinem versum est, merito Christus resuscitatum a sepulchro exire et abire jubet, quia ad hoc ut anima aliqua in peccatis habitata, in peccati recidivam denuo non relabatur, opus est, ut a loco, personis et conversationibus, quæ antea lapsus occasionem ministrarunt, procul recedat. Quando S. Petrus a peccato et scandalo suo resipuit, dicit Evangelista quod *flevit amare*; sed ubi? *Egressus foras*. Sed dices fortassis, ex quo Petrus Magistram suam in alio et in conspectu totius aulae pontificiæ et ancillæ illius negaverat, numquid justum et decens quoque erat, ut similiter in presentia omnium illorum poenitentiam ageret, suamque vitæ emendationem exhiberet? Minime gentium, ex quo enim sanctissimus hic Apostolorum princeps omnibus Ecclesiæ fidelibus velut insigne poenitentiae speculum proponendus erat, Deus nos in ipsius exemplo scire voluit, hæc nunquam, vel saltem rarissime, veram et stabilem esse posse, quamdiu in iisdem locis, cumque iisdem personis perseveranter commoramur, eum quibus hæcenus per longam et diuturnam consuetudinem prævaricati fuimus: « Quia, » ut Lyranus optime dicit, « peccator debet esse elongatus, non solum a peccato, sed etiam ab occasionibus ejus. » Pharaon rex Egypti desiderium filiorum Israel Deo suo sacrificare volens,

finem precibus libenter quidem acquiescebat, dummodo ab Egypto non recederent, sed coram oculis suis sacrificia sua peragerent, in quod tamen Pharaonis responsus Moyses a Deo illuminatus, consentire minime consentaneum esse duxit, sed in sua petitione constanter perseveravit, ut scilicet *omnis ciam trium dierum in solitudinem, ut sacrificienus Deo nostro*. Ubi Oleaster ait: « Neque fas est ei, qui Deo vult sacrificare, recedere a malis, nisi ab eis se curet elongari via trium dierum. »

18. — Salmeron ait: « Simile abire per opera orationis, jejunii, elemosynæ et per novitatem vitæ a sepulchro recedendo; de qua est illud, *Galat.*, v, 25: *Si spiritu vivimus, spiritu et ambulamus.* »

#### VERSUS 45.

*Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam et Martham, et viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum.*

1. — Illic igitur fuit fructus miraculi inter spectatores presentes, postea vero et ad alios « multos fructus dimanavit, » inquit Lucas Brugenensis. Et quidem, ut Toletus notat, merito hoc adeo prodigiosum miraculum ad finem usque prædicationis reservavit, ut Judæorum convinceret et condemnaret incredulitatem; adducitque experti alieujus Medici similitudinem dicens: « Nam sicut medicus potentiora medicamenta in principio morbi non adhibet, sed quo magis is ingravescit, eo efficacioribus utitur remediis, ita Christus, etc. Dum enim paulo post mortis condemnandus

esset, unicuique manifestum esse voluit, quod huic mortui subjeti ab ipsis non posset, utpote qui ipsis tanquam Dominus et Patronus præsesset, ideoque scire illos voluit, quod *oblatus est, quia ipse voluit.*

2. — Res summa admiratione digna est, quod homines in Christum crediderint, magna quoque erga eum devotione affecti fuerint, ex eo quod mortuam ad vitam per ipsum revocatum esse viderint, nec tamen ullus hominum, aut valde pauci, ad miracula continua se rellectant, quæ operatur quotidie, dum ad gratiæ vitam, quæ longe est excellentior, tot homines quotidie resuscitat: « Omnis qui peccat, » moritur, » inquit S. Augustinus, *tract. xlii in Joan.*, « sed mortem omnis homo timet, mortem animæ pauci, pro morte carnis, quæ sine dubio quandoque ventura est, curant omnes, ne veniat, inde est, quod laborant; laborant ne moriantur homo moriturus, et non laborant, ne peccet homo in æternum victurus. »

3. — Theophylactus magnam inter Judæos observat differentiam; siquidem S. Joannes expresse dicit: *Multi ex Judæis*; non vero dicit, omnes: « Spectantium alii quidem crediderunt, alii autem annuntiaverunt Pharisæis, calumniantes nimirum, ut profanam rem, quia ausus fuerat impedire, rare, ut effodiatur sepultus. » Horum primi simul cum Lazaro resuscitati fuerunt, sed spiritualiter; alii vero in sepulchro aut monumento suo magis magisque computruerunt, id est, in sepulchro duritie et obstinationis ipsorum: « Ut vel hinc agnoscas fidem esse Dei donum, » inquit Salmeron, « et vere Abraham dixisse: *Neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* »

#### DOMINICA PASSIONIS

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. VIII, VERS. 46

46. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?  
 47. Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.  
 48. Responderunt ergo Judæi, et dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes?  
 49. Respondit Jesus: Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me.  
 50. Ego autem non quero gloriam meam; est qui quaerat et judicet.  
 51. Amen, amen dico vobis: Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.  
 52. Dixerunt ergo Judæi: Nunc cognovimus, quia dæmonium habes; Abraham mortuus est, et Propheta, et tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum.  
 53. Numquid tu major es Patre nostro Abraham, qui mortuus est? et Propheta mortui sunt? Quem te ipsum facis?



54. Respondit Jesus : Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est ; est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis : Quia Deus vester est.

55. Et non cognovistis eum, ego autem novi eum ; et si dixerō, quia non scio eum, ero similis vobis mendax, sed scio eum, et sermonem ejus servo.

56. Abraham Pater vester exultavit ut videret diem meum ; vidit et gavisus est.

57. Dixerunt ergo Judæi ad eum : Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti?

58. Dixit eis Jesus : Amen, amen dico vobis : Antequam Abraham fieret, ego sum.

59. Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum ; Jesus autem abscondit se, et exivit de templo.

#### VERSUS 46.

*Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?*

*Quis ex vobis arguet me de peccato?*

1. — S. Bonaventura ad personas se reflectens, quibuscum Dominus noster loquebatur, dicit : « *Quis ex vobis mendacibus et peccatoribus?* » hi enim velut talpæ quedam in sole quærebant caliginem.

2. — Porro Christus hanc vitæ suæ innocentiam et irreprehensibilitatem non ex jactantia publice professus est, sed ex necessitate, ut videlicet per illam authenticaret doctrinam et prædicationem ; nam ut S. Gregorius optime advertit : « Cujus vita « despiciatur, restat ut ejus prædicatio contemnat » ur. » Salmeron quoque, *tract. xlii*, dicit : « Non « existimet quisquam Christum carnali jactantia « de vite suæ innocentia gloriatum, sed juxta spiri- « ritus sui prudentiam obiecti suam prudentiam « et integritatem ob doctrinæ suæ commendatio- « nem. » Hi quoque, qui gubernationis et officia publica gubernanda habent, in more positum habere solent, quod ad vitæ suæ actiones et integritatem suam justificandam, aliorum se arbitrio et censuræ submittant ; cujus in primis in Moysæ exemplum habemus, qui in simili munere positus, publice in hæc verba protestatus fuit, *Num.*, xvi, 15 : *Tu scis, quod ne a seculum quidem acceperim ab eis, nec affecerim quempiam eorum.* Samuel quoque publice in conspectu omnium positus audacter edixit, *I Reg.*, xii, 3 : *Eccæ præsto sum, loquimini*, etc. « Christus perfectus officio legationis et prædicationis, ab hac sua justificatione non voluit esse « alienus ; » qui potius omnes in communi et singulos in particulari hodie invitat, ut si quæ adversus ipsum habeant accusationis capita, in medium producant.

3. — S. Cyrillus Alexandrinus sensum verborum Christi hunc esse dicit : « Disquirite vitam meam, « verba et opera mea discutite, nihil omnino, quod « jure redargere possitis, occurret. » S. Thomas, *in Joan.*, textum illum Proverborum, xx, 9, adducit, in quo Spiritus Sanctus dicit : *Quis potest dicere : Mandatum est cor meum ; purus sum a peccato?* « Quasi dicat : Nullus, nisi solus Deus. Ipse « peccatum non fecit, » inquit de Filio Dei S. Bona-

ventura, « imo Agnus est Dei, qui tollit peccata « mundi. » Beda ait : « Non indignatur ex ratione « ostendere, se peccatorem non esse, qui ex vir- « tute divinitatis potuit peccatores justificare. » Lucas Brugensis rationes aliquas adducit, per quas « impossibilitatem culpæ ostendit in Christo : « Plane « peccatum non fecit, qui non peccare potuit ; tum « quia humana ejus natura unita divinæ ; tum quia « anima ejus in beata Dei visione semper fuit ; et « nec potuisset esse Dei et hominum mediator, sed « ipse mediatore eguisset, si peccato obnoxius « fuisset. »

4. — Toletus eos, qui alios exhortantur, aut prædicant aliis, ex tribus præcipue capitibus bonam sui estimationem apud auditores suos amittere considerat ; nimirum « aut propter vitam ejus parum « honestam, qua indignus efficitur, ut ei credatur ; « aut propter doctrinam, quia falsa et improba- « bilis ; aut propter nequitiam et culpam ipsorum « auditorum non credentium. Dominus igitur ter- « movet duas causas primas et inde infert ter- « tiam. » Primo enim ex parte sua ostendit vitæ suæ irreprehensibilitatem, secundo doctrinæ veridicæ integritatem, quam annuntiat ; unde per optimam consequentiam, incredulitatem eorum ab ipsorum malignitate et obstinatione derivari ostendit.

5. — Jansenius dictionis illius, *arguere*, significationem ponderat, dicens : « Quis me potest, vel « poterit arguere, hoc est, argumentis convincere « de quovis peccato, nemum de errore et menda- « cio? arguere enim exponendum est, pro convincere, non autem pro accusare ; » sepe enim Salvatorem de excessu aliquo accusabant et calumniabantur, utpote quod dæmoniaco, aut ebrius esset, et de similibus : « Nunquam autem poluerunt con- « vincere certis argumentis, sed ubique obstructum « est a Domino os loquentium iniqui. »

6. — Tametsi de ipso per Jeremiam Prophetam, *Thren.*, iii, 29, 30, prædictum fuerit : *Ponet in pal- « vere os suum, dabit percutienti se maxillam, sutura- « bitur opprobriis ;* operæ tamen prælium, imo necessarium esse duxit, ut se de conflictis adversus suam innocentiam calumniis et imposturis justificaret, tum ne prædicatio ejus fidem apud auditores amitteret, tum ut omnes ministros Evangelicos instrueret, curam illis honoris et bonæ famæ habendam

esse, ut deinceps Dei gloriam et animarum curæ ipsorum commissarum salutem tanto efficacius promoverere possint.

7. — Theophylactus observat, sapientissimum Magistrum Hebræos, utpote qui se peculiariter Filios Dei esse arbitrabantur, peculiari quodam argumento aggressum esse, dicendo : « Si Dei estis filii, « utique peccantem debetis odio habere, si igitur « et me, quem odio habetis, potestis arguere pec- « cantem, manifestum est, quod juste odio me « persequimini ; quod si nemo me potest arguere, « manifestum est, quod me propter veritatem « exosum habetis ; quam autem veritatem? omnino « quia dixerat se Filium Dei. » Hoc enim unicum erat necis ipsi ab illis inferendæ motivum ; at vero quia, ut Hugo Cardinalis advertit, se defendere potuissent, dicendo, quod homo facinorosus et sceleratus erat, qui proinde vitam illis præcluderet, Christus dixit : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* at vero mors, quam illi machinabantur, longe ex hoc reddebatur execrabilior et detestabilior, dum hanc et idoo inferre nitentur, quod verus Dei Filius et promissus in lege Messias esset.

*Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?*

8. — Postquam vitam suam irreprehensibilem esse demonstrasset, jam immedie ostendere incipit, qualis doctrina sua existat, quam tradebat, nimirum ipsissima Veritas ; unde Toletus ait : « *Si « veritatem dico vobis, ac si diceret : non etiam « potestis causam vestre incredulitatis in meam « rejicere doctrinam, veritatem meam dico vobis.* » Et vero unica causa ob quam ipsi credere renuebant, hæc erat, quia auditum suum veritati accom- modare non poterant, quia, ut habet tritum illud proverbium : « Veritas odium parit. » Dionysius Carthusianus ait : « Verum tamen dico vobis, Evange- « licam legem prædicando et vestra piacula incre- « pando, futura atque secreta elucidando. » Pergit ulterius, quia ipsorum incredulitas irrationabilis fuerit, ostendere ; siquidem scriptum est : *Cum videris sensatam, evigila ad eum.* Sicut enim subito credere signum est levitatis animi, ita obstinationis signum est, multis, iisque omnibus indubitatis veritatis signis et indicis fidem non adhibere. « Quam- « vis vero doctrina Christi fuerit omnino insolita « atque incomprehensibilis, propter quod nec « facilius recipienda fuit, tamen tanta tamque evi- « dentissima argumenta patuerunt, quod ipse esset « verus Christus, verus Magister et Sanctus, puta « testimonium Joannis Baptiste, vaticinia Prophe- « tarum, miracula Christi, discipulorumque ejus « constantia, ejus pro veritatis defensione et zelus « justitiæ, quod incensabiles erant Judæi de sua « perfidia. »

9. — Porro ad hoc ut veritatem, eamque præci-

pue, quam Christus docuit, libenter amplexaremur, Albertus Magnus, *in Joan.*, in laudem veritatis ita scribit : « Que omnibus debet esse amabilis, eo « quod divina est, et eo quod veritas est, quia illa « dirigit, in quantum est veritas et ad Deum diri- « git, in quantum est divina. *Ps. xlii, 3 : Emitte « lucem tuam et veritatem tuam, ipsa ne deluserunt « et adduxerunt in montem sanctum tuum et in ta- « bernacula tua.* »

#### Additiones.

a. — *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ostendit se Christus hic prorsus ab omni peccato liberum qui peccata capturus venerat ; irreprehensibilis quippe esse debet in se, qui alios corrigendi munus vult exercere. Impios corrigere, perfecte et probate virtutis opus est, ipsomet Sapiente teste, qui ait : *Probatu virtus corripit ;* ac proinde sanctus et regius Propheta David dicebat, *Psal. cxl, 5 : Corripit me justus in misericordia, et increpavit me.* Non enim reprehensionem declinabat, sed eam se a viro tosti et perfecto præstolari debebat. Unde S. Augustinus, *lib. xlix de Civ. Dei*, ait : « Pertinet ad « innocentis officium, non solum nemini malum in- « ferre, verum etiam cohibere a peccato, vel pu- « nire peccatum, ut aut ipse qui peccavit, corriga- « tur experimento, aut alii terreatur exemplo. » Porro toti mundo, imo et celo nota est S. Bernardi sanctitas et innocentia, et tamen se sanctitate ad alios reprehendendos sufficientem, donatum non esse lamentabatur dicens : « Multitudinem iniquitatum « mearum expavesces, aliorum transgressiones « reprehendere timui, et ideo mortis auctor exiit, « quia virus, quod expellere potui, non expui. » Verum quidem est, quod S. Paulus Timotheo corri- gendi et reprehendendi munus imposuisti dicens : *Argue, obsecra, increpa ;* attamen postea virtutes episcopales recensens, inter alias hanc valde considerabilem primo omnium loco statuit, dum ait : *Operet episcopum irreprehensibilem esse.* In libro I *Reg.*, xii, 13, Samuel ex parte Dei ad rigorosa quadam censura corripendum populum se accinxisse legitur, sed notandus est modus, quem correctioni præmisit. Omnes enim simul congregavit, cumque aliquanto tempore eundem populum tanquam iudex gubernasset, singulos interrogavit dicens : *Lo- « quimini de me coram Domino, utrum bovem ejusquam tulerim, aut asinum ; si quempiam calumnias sum, si oppressi aliquem, si de manu ejusquam manus accepi?* Moxque omnes contestati fuere integritatem dicentes : *Non es calumnias nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicujus quidpiam.* Tunc facta publica hæc justificatione sui, severe correctionis virga apprehensa, coram erga tota beneficia divina ingratitude non acriter eis ob oculos posuit. Moyses e monte descendens, vultum habebat adeo resplendentem, ut nequaquam hominis esse videretur, ut-



pote qui omni conditione humana censebatur esse superior; cujus mysterium a Lyrano his verbis explicatur: « Hoc factum est, » inquit, « ut quia « populus per idololatram peccaverat, magis eum « timeret et haberet in reverentia, » quia sanctitas, solidaque et verecitas integritatis conceptus, majorem ei qui reprehendit, auctoritatem, majoremque correctio reverentiam imprimit.

**b.** — Venerat Dominus perditam Judæorum vitam, saniori doctrina, suoque exemplo corrigere, et hinc suis inimicis ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quasi diceret: Quod si in me aliquem defectum agnosceitis, illum proferte, et dicite. Cum autem non habetis quod dicatis, manifestum est quod si doctrinam meam, monitaque salutis nolitis recipere, hoc solum proveniat ex vestra malitia. Sic ad instar horum Judæorum perditæ salutis homines sunt, qui correctionem aspernantur et ridet, corrigentem vero calumniantur et indigne tractant. Sapiens, *Prov.*, xv, 12, pestilentem appellat eum qui non amat corripi et a suis erroribus emendari; facile enim suæ malitiæ contagium transmittit ad alios, dum non castigatur, perque impunitatem morbus ejus non curatus in grave reipublicæ damnum latissime serpit. S. Pacianus ad explicandum irreparabilia damna que is qui correptiones odit, sibi conciliat, sequentes similitudines adducit, dicens: « Ut cœnum solet tunc maxime fetere, et incendium tunc maxime ardere, cum versas, et rabies « tunc maxime sævire, si provocet; ita illi objurgationis necessarie stimulus contrario calce fregerunt, non sine suo quidem malo et vulnere repugnantes; nam a Domino dictum est: *Argue stultum, et odio te habebit.* » S. Isidorus considerat multis pervertis et in peccato obduratis, minime sufficere quod illos a quibus corriguntur, a se repellant, quin etiam multas contra eos falsas calumnias et imposturas coacervare solitos esse: « Nonnullos tantæ esse pravitates homines, qui dum ipsi a malo corrigi negligunt, correctorum vitam « falsa criminatione detraçant et ad sui sceleris « solatium usurpant, si vel falso compererint, quod « ad infamiam bonorum objiciant, sicut est illud « ex Salomone, *Eccles.*, xi, 33: *Bona enim in mala « convertens insidiat impius, et in electis imponet « mœculum.* » His autem qui tales sunt S. Isidorus comminatur dicens: « Vae autem illi, qui et suam « vitam remittit corrigere et bonorum non desinit « detrachere. »

**c.** — Non sine ingenti mysterio Dominus dixit: *Quis ex vobis, ex vobis, inquam, cum sitis hypocrite, Pharisæi, usurarii ac legis transgressores; quis ergo, ex vobis, cum tales sitis, me cum innocens sim, potest redarguere.* Conscientia enim mala judex est contra se incorruptus. Reus æternæ damnationis perturbationibus et continuis agitatur motibus. « Peccatum mentem flagellat, » inquit S.

Chrysostomus, « cor laial et quovis terrore gratius apprehendit. » Cui et illud consonat Boetii assertum: « Sicut probis probitas ipsa fili præmium, « ita improbis nequitia ipsa supplicium est. » Imo tormentum hoc S. Augustinus reputat omnium gravissimum, inquiens: « Inter omnes tribulationes « humane animæ, nulla est major tribulatio quam « conscientia delictorum. » Nullus tantus est humane tribulationis furor qui non aliquod quietis concedat intervallum; ast conscientia remorsus, vulturis instat, cor indesinenter abrodit.

**d.** — Hæc verba: *Quis ex vobis arguet me de peccato,* habita sunt a Domino, anno prædicationis illius secundo, ætatis vero trigesimo secundo, vigesimo secundo mensis septembris. Nimirum ultima festivitatis scenopegiæ, ad quam occulte convenerat. Quibus verbis, et gravitatem peccati, et se ab omni peccato immunem ostendere voluit. Poterat quidem multis signis et prodigiis se immunem præbere ab omni crimine; sicut pro declaranda sanctitate Moysi contra Dathan et Abiron, factum est ut consueta morte non periret; et pro Samele tonitrua facta sunt, *1 Reg.*, xv. Sic pro sui defensione, multo majora signa edere volebat Dominus; sed illis omissis, non dedignatur Dominus, ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui ex virtute divinitatis poterat peccatores justificare. Sed simul malitiam peccati ostendere voluit, quam patefecit; dum manifestat quod contra se utpote innocentissimum sic debaccharunt, eumque peccatorem criminantur. Ex eo enim quod sanctitas et bonitas ipsius Dei per peccatum læditur, qui nos tantopere dilexit, magnisque beneficiis ditavit, malitia notabiliter ipsius peccati angetur.

**e.** — Mirabilem Salvatoris nostri in quibuslibet opprobriis perferendis patientiam, saepe repelit divina Scriptura, utpote *Isa.*, lxxv, S. Petrus, *1 Epist.*, ii, etc. Cur igitur præter morem tam honoris sui cupidus hanc questionem evolvit de se Dominus? Christus perlongum ad populum habuerat sermonem, adeoque prædicatoris officium exercens, testatam voluit suam innocentiam, ut hinc discant prædicatoribus sibi esse ad laborandum, cum verbis vite concordet. Rabanus de illis tractans militibus Gedeonis, quos jussu Dei, ad reportandam de Madianitis victoriam, ex toto exercitu suo per hujus signi observationem elegerat, si scilicet genua nequaquam in terram flectentes, aquam de manu haberent, ita scribit: « Hi igitur Christo duce ad « bellum procedunt, qui hoc quod ore denunciant, « opere ostendunt; qui fluentia doctrinæ spirituali- « ter hauriunt, nec tamen in pravis operibus carnaliter flectuntur, quia sicut scriptum est: *Non « est speciosa laus in ore peccatoris.* » Consideratis aliquando quanam phrasi incarnata Sapientia prædicationem evangelicam appellet? *Messis quidem,* inquit, *multa, operarii autem pauci.* Ibi Cajetanus

ait: « Metaphorice est locutio, assimilans prædicationem evangelicam messi, ratione fructus. Non « dicit: Sacerdotes et Scribæ multi, sed operarii « pauci, quia etsi magna est multitudo Sacerdotum, Doctorum, prædicatorum, pauci tamen sunt « operarii, quia pauci sunt qui vita et doctrina student salutem animarum. » S. Hieronymus Nepotianum, ut is, per prædicationem suam in animabus fructum parere posset, in hæc verba exhortatur: « Non confundant opera tua sermonem tuum, « ne cum in Ecclesia loqueris, tacitas quilibet respondeat: Cur ergo hæc quæ dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de « jejuniis disputat. Sacerdotis Christi os, mens, « manibus concordet. » B. Petrus Damianus sententiæ S. Hieronymi insistens, suis religiosis in hæc verba consulit: « Exere quod prædicat; non « vita discordet a lingua; non opera videantur a « sermone discreta. Commendet inedia jejunia « prædicantem, nec loquentis sententiæ comedentis fauces impugnent. » S. Isidorus inter alias suas sententiæ, hanc quoque proponit: « Qui « non vivit sicut docet, ipsam quam prædicat veritatem contempnibilem facit. » Et in alio loco, in hujus confirmationem, idem Isidorus ait: « Prius « debet justus prædicator bene agere, ut consequenter possit bene docere, sicut enim in numismatibus metallum, et figura, et pondus perquiruntur; ita in omni Doctore ecclesiastico, quem sequatur, quid doceat, quomodo vivat, perquirendum est. »

**f.** — Valde sollicite hic Christus Dominus ingerit sermonem de suæ puritatis integritate ac doctrinæ veritate, se ab omni prorsus peccato liberum insinuans; qui enim novæ legis caput futurus erat, nec non peccata captus venerat, illum sine peccato aut malo exemplo conveniebat; caput enim communitatis, velut exemplar, subditis præluere debet in virtutibus. S. Apostolus Petrus quondam seniores, id est, eos quibus incumbere erudire et gubernare animas, instanter his verbis rogavit, *1 Pet.*, v, 3: *Seniores, qui in vobis sunt, obsecro, consentor, pascite qui in vobis est, gregem Dei, scilicet eundem in disciplina christiana erudiendo; quo fine unice necessarium erat bonum illorum exemplum, ac proinde subditi: Facti forma gregis, id est, ut Carthusianus exponit: « Gregi vobis credito exemplares effecti. » Cujus sequentem assignat rationem: « Quia ex virtuosa et exemplari conversatione ac « informatione superiorum, in tantum dependet « profectus et salus inferiorum, ut per Jeremiam « Dominus protestetur: *Quoniam stulte egerunt « pastores, propterea omnis grex eorum dissipatus « est.* » Et ideo S. Bernardus de S. Malachia Episcopo dicit: « Ipse regula erat fratribus; legebant « in ejus vita quomodo conversarentur. » Eusebius de S. Gregorio Nazianzeno refert quod factus Epi-*

scopus, tanto cum zelo populo in religione christiana virtutumque et perfectionis exercitio erudiendo incubuit, ut nullus suorum unquam se aliquid boni gloriarî potuerit, quod non prius in sancto Pastore suo visum imitatus fuisset.

**g.** — Venerat Christus Dominus perditam Judæorum vitam saniori doctrina, suoque exemplo corrigere; et hinc suis inimicis ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quasi diceret: Quod si in me aliquem defectum agnosceitis, illum proferte in medium; si autem non habetis, cur non sequimini exemplum meum et doctrinam meam? Et cum nolitis, signum est hoc provenire ex sola vestra malitia. Bonum enim exemplum de se aptum natum est, augere numerum fidelium. S. Paulus, priusquam Timotheum, discipulum suum, ad dandum tam in sermone quam conversatione, bonum exemplum cohortetur, primo hæc verba præmittit: *Fidelis sermo et omni acceptione dignus;* et paulo post, quisnam hic omni acceptione dignus sermo sit, exponit dicens: *Præcipue et doce.* Sed quo modo præcipiendum aut docendum? *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in fide, in charitate, in castitate.* Si enim proximos nostros ad virtutem provocare et exhortari, inque animis eorum timorem Dei, ut celo fructiflente, insereere volerimus, potius bonis exemplis quam bonis verbis insistamus oportet; quemadmodum idem quoque Apostolus Titum, ii, 4, hisce verbis exhortatus est: *Hæc loquere et exhortare, et argue eum omni imperio.* Doctrinam hanc S. Prosper sacerdotibus specialiter appropriari autumat, dum ait: « Nulla alia sacerdotis doctrina debet esse quam vita; satisque auctores prossunt proficere, si a Doctoribus suis « quod vident spiritualiter fieri, hoc sibi etiam « simpliciter audiant prædicari. » Cujus nobis formam Verbum incarnatum dedisse videtur, utpote quod licet a primis vite annis conversionem animarum, prædicationem Evangelii, novaque legis gratiæ promulgationem exordiri potuisset, nihilominus, teste S. Mattheo: *Exiit caput Jesus prædicare et dicere: Penitentiam agite.* Quoniam vero tempore illud, exiit, inchoatum fuisse existimatis? Post triginta annorum spatium, in operibus, exemplisque sanctis, nec non heroicis virtutibus consumptorum; tunc siquidem sumum Christus os aperuit, ut penitentiam annuntiaret. S. Carolus Borromeus naturalis neuliquam facundia claruit dono; balbutiebat, et necessariis naturaliter ad prædicandum talentis destitutus erat, et nihilominus, quia plus exemplo, vitæque sanctitate prædicabat quam voce, verbum Dei annunciavit, maxima cum aviditate audiebatur, stupendumque producebat fructum, scilicet cum Moysè dicere potuisset: *Impeditioris et tardioris lingua sum.*

**h.** — Judæos ac Pharisæos testes in hoc negotio Christus Dominus compellit, ut si quid habent ad-



versus eum, proferant, ut inde nulla supersit eis excusatio in die iudicii, ob quam ejus veritati non crederent, sique facti evidens, quam justa pena damnantur. « Eo namque tendit, » inquit Ruper-tus, « ut agnoscat quod in die iudicii nullam inde « sint excusationem habituri, quia non crederint « illi, praesertim cum nec eodem se proponente, « obijcere: Feceisti, aut facis hoc vel illud. Proinde « nec poterant in eum jactare illud, quod vulgo « dicitur: Cujus vita despicietur, restat ut et predi-catio contemneretur. » Ad eundem modum reprobi omnes in die iudicii erunt inexcusabiles.

**i.** — Qui sese paupertati, nuditati, fami, concal-cationi et morti dedit, nec ullum malum poene sustinere vitavit, ecce quam alacer, quam sollicitus est hodie in depellenda a se vel minima peccati suspicione, quippe hostilibus turbis ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Conculcationem et mor-talem in illis illatum patienter sustinet, sed minima sustinet in se vel umbram peccati, quod solum ut malorum omnium summum maxime caret. Nec est utique aliud malum quod sic cavere debeamus. Imo peccatum plus timendum quam mors ipsa. Dum Propheta regius inquit: *Mors peccatorum pessima*, hoc asserunt non tam de morte corporali quam de aeterna, quam prius anima, postea corpus incurrat, intelligendum esse docet S. Chrysostomus, in quadam sermone dicens: « Cum audieris mor-tem esse animae, noli mori animam arbitrari, est enim immortalis. Verum animae mors est peccata tum et supplicium aeternum; propterea ait Christus: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timeate eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* » Ideoque S. Cyrillus Alexandrinus, in *Leviti.*, II, 14, non tam mortem quam peccatum timendum esse docet, in haec verba: « Restat ut ostendamus multo esse gravius accipere peccatum et habere secum, quam morte mulctari. Mors quae poena causa inferitur pro peccato, purgatio est peccati ipsius, pro quo jubetur inferri. Absolvitur ergo peccatum pro poena mortis, nec est superius aliquid quod pro hoc crimine iudicii dies poena aeterni ignis dignum inveniat. Ubi vero quis accipit peccatum et habet illud secum, ac permanet cum ipso, nec aliquo supplicio poe-nae diluitur, transit cum ipso etiam post mor-talem. Et quia temporalia hic non persolvit, ibi expendit aeterna supplicia. Vides ergo quanto « gravius sit accipere peccatum quam morte mulctari. »

**j.** — *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Probabilissimum est Christum Dominum haec verba Scribis, Phariseis ac omnibus Judaeis dixisse, quibus proinde objicit: *Vos ex patre diabolo estis;* idque non aliam ob causam, nisi quod diabolo homicidae, criminatosi ac mendaci, sibi vero omnino

sancto ac veraci noluit credere: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Et sic se nunc pas-sim res habet apud homines, ut mendacia sequan-tur, veritatem fugiant et ut mendacis indulgeant, veritatem execerent. Unde praclare in persona Christi ait Euthymius: « Si mendacium loquerer, « crederetis utique mihi tanquam id dicenti, quod « proprium est patris vestri. Quia autem docet « veritatem, non creditis mihi, utpote alienum ab « eo docenti. » Dæmon enim primus fuit inventor et pater mendacii, hincque venenosus ejus partus innumerabilium est peccatorum seminarium; et ideo ad mentiendum hominem instigat, quia menda-cium est infallibilis filiorum diaboli tessera. S. Ambrosius, sermone XLV, ait: « Cave, fratres, « mendacium, quia omnes qui amant mendacium, « filii sunt diaboli, qui non solum mendax est, sed « et pater et inventor ipsius mendacii. »

**k.** — Audacter et confidenter se Dominus exponit inimicis suis iudicandum dicens: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Tamen antecedenter et sub-sequenter ad hanc sententiam veritate se munit ac circumdat: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Veritate circumdatus ac communis Dominus suis adversariis ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Nihil fortius ac efficacius ad inimicos conculcandos quam ipsa veritas: *Scuto circumdabit te veritas ejus; non timebis a timore nocturno.* *Psal.* XC, 7. Per timorem nocturnum interpretatur S. Hieronymus mendacium; nam mendacium est valde timidum et pallido colore in tenebris versatur. Ait ergo David: *Non timebis a timore nocturno.* Qui enim Dei veritate tanquam scuto munitus est nul-lum timet mendacium, nullamque falsitatem contra se insurgentem. D. Hieronymus sic ait: « Scuto « circumdat nos veritas ejus ne ardentibus sagittis « diaboli pereitiamur. Propterea Christus, qui ve-ritas est, supponit scutum suum, ut scuto veritatis « superet mendacium. »

**l.** — Mirum est quod ad comprobationem suae veritatis, quam Christus predicabat, multos testes non adducit, testimonium videlicet Joannis Baptiste, vocem Patris in Jordane et multa alia ejus miracula ac opera; sed tantum ait: *Veritatem dico vobis.* Ratio est quia veritas per se est patens, mani-festa, ac credibilis, nec multorum sed paucorum eget testimonio. Haec enim inter veritatem ac menda-cium est discrepantia: nam veritas, ut suaderetur, paucis contenta est; at mendacium, multis, magnis, exquisitis, ac eminentis auctoritatis indi-get testibus, seu quod idem est, ut quis mendacium fingat, illudque credibile et probabile esse faciat, laborare oportet; e contra vero, veritas summa cum facilitate dicitur.

**m.** — Ad quid Dominus querit a Judaeis cur ejus doctrinae non assentiantur? *Quare non creditis mihi?* Ipse Salvator optime noverat quod Judaei nullam

poterant praetendere excusationem. Cur ergo hoc ab eis sciscitatur? Non aliam ob causam, nisi ut ipsi reflexo animo semetipsos considerantes, nul-lam se posse assignare excusationem, inde confun-dantur, ac sui criminis gravitatem agnoscant. Ex-posuit quondam Adamus Deo, quod Eva dederit pomum, quod ipse comedit; tunc ait Deus mulieri: *Quare hoc fecisti?* Deus optime sciebat totam rei seriem, quod serpens cum promississet divinitatem, eamque deseperit, et etiam aperte Domino erat praesens, quod mulier in sui facto, nullam habebat excusationem; interrogat ergo, ut inde doleat de sua culpa et eam confiteatur: « Non hoc igno-rans, » ait D. Chrysostomus, *Hom. xvi in Genes.*, « interrogabat, sed conscius, et valde conscius, « suam declarat misericordiam, ad illorum se « infirmitatem dimittit, et ad peccatorum provocat « exaggerationem seu confessionem; » ad hoc ut eo citius absolvantur ab eo. Quo enim peccatum magis coram Deo exaggeramus, eo citius ab eodem absolvimur.

**n.** — Quod Judaei non crederent Domino verita-tem predicanti proveniebat ex eorum malitia, iniquitate, perversitate, odio ac invidia erga Dominum, ex quibus proveniebat, quod ipsi respuentes verita-tem, toti propensi essent in mendacium, et audiendum et dicendum. Quod hodie tum quoque contingit, ut et dilectione vanitatis, seu rerum temporalium, quae vanae sunt, homines tot menda-cia dicant, faciant et sequantur. Unde D. Augusti-nus ait: « Ut quid ergo, temporalium rerum amore « detineamini? Ut quid tanquam prima, extrema « sectamini? Quod est vanitas et mendacium. » Ecce pro rebus temporalibus homines mendacia sequuntur, cum nihil uno mendacio sit gravius, illudque nec quidem evitatio mortis aut totius rei-publicae devastatio non excuset. Ecce arguit Abimelech Abrahamum quod cum ingrederetur Gera-riam dixisset quod Sara esset soror sua, cum evi-dens esset quod uxor ejus existeret; cui respondit Abraham: *Cogitavi quod interficeret me propter uxorem meam, et ideo dixi quod soror mea esset;* et addidit Abrahamus: *Alias autem et vere soror mea est.* More gentis suae hoc dixit; consanguineos enim et nepotes fratres vocabant; Sara enim filia erat fra-tris sui Aran. Sufficiens videbatur quod ad excu-sandum se Abrahamus dixisset, illud fuisse a se dictum, ad evitandum mortis periculum, propter eximiam Sarae pulchritudinem. Ad quid vero addidit quod alias soror sua esset. Ecce tam ignomi-niosum mendacium judicavit, ut illius aequatam expurgationem mortis declinationem non reputavit, nisi alias rei veritas ita subsisteret, et ideo pro ho-nore suo tunc addidit quod alias soror sua esset. Unde S. Odo, *lib. XVIII Moral.*, XIX, inquit: « Scriptum est, *os quod mentitur occidit animam,* « et, *perdes eos qui loquuntur mendacium.* Hoc

« mendacii genus, » licet levioris culpa, « perfecti « viri summopere fugiunt, ut nec vita ejuslibet « per eorum fallaciam defendatur, nec suae anima « noceant, dum praestare carni nituntur alienae. » Nunquam enim mentiri licet.

**o.** — Existimat hic Origenes, *tom. XV in Joan.*, quod Christus hic sermonem habeat cum Judaeis qui crederentur in eum, fide nempe superficiali, quos filios diaboli appellat, de eisque conqueritur. Cur vero potius hanc querelam non facit de Scribis et Phariseis, sed de his qui crederentur in eum quibus et alibi promissionem fecit dicens: *Vere discipuli mei eritis?* Majori dolore animum sauciatur injuria de obligato beneficio quam quodlibet cri-men crudelioris inimici; qui enim crederentur, maxime erant adstricti beneficio, ex divina benevo-lentia accepto; inde eorum crimen gravius illi est quam quodcumque aliud Phariseorum, eo quod ab eis, ut suis satisfacerent appetitibus fons omnis boni turpius rejiciatur, quae summa injuria est.

**p.** — Cur Judaeos benignissimum Dominus pro tanta, tanque malitiosa incredulitate non punit? Ratio est: Animus magnus et prudens, etsi dolat ac conqueratur de injuriis illatis, tamen pro sui magnitudine patientiam exhibet et a vindicta abstinet. Major enim est victoria injurias patienter ferre, quam easdem ulcisci. Legitur, *Prov.*, XVI, 32: *Melior est patienti viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Circa quae verba Cajetanus ait: « Qui novit se continere ab ira im-be- « petu, melior est quam potens viribus exercere « vindictam, et similiter longe melior est domina-tor spiritus proprii quam expugnator urbium, eo « quod iste adversus alios praevaleat, ille vero seip-sum possidet, seipsum sibi subjicit, quod est « maximum in virtute morali. » Hugo Cardinalis aliam rationem assignat cur gloriosior sit victoria quae vincit seipsum quam quae multae civitates expugnantur; dicit enim: « Qui expugnat urbem, « toto se pugnat extra, id est, quod intra se est; « qui autem animum suum expugnat, dimidio se « contra seipsum pugnat, et ideo gloriosior est illi « victoria. » S. Augustinus interrogat: Vis vincere inimicum tuum? Moxque respondet: « Attende « intrinsecos tuos, ne ibi habeas quos vincere de-beas. »

## VERSUS 47.

*Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea eos non auditis, quia ex Deo non estis.*

*Qui ex Deo est, verba Dei audit.*

**1.** — Salvator noster verba haec non solum de auditu externo, sed etiam et multo magis de inter-iori intelligit, inquit Toletus: « Non solum propter « auditum exteriorem, sed propter fidem doctrinae « et mandatorum ejus obedientiam, hoc enim est



« perfecte audire verba Dei. » Judæi quidem ad ea, que dicebat, audienda, aures suas patulas prebebant, sed solum ad ipsum accusandum et censurandum, non vero ad auscultandam veritatem, ut inde proficerent. Cajetanus verba Christi hac glossa illustrat: « Verba quidem Dei necessaria ad salutem suscipit, ut necessaria ad salutem; verba autem exhortatoria suscipit ut expedientia, illa ut præcepta, hæc ut consilia. » Considerat quoque Christum Judæis dixisse: *Propterea vos non auditis*; unde deducitur quod Christus non intendebat loqui de auditu corporali, sed de spirituali et interno. « De eruditione interna, hoc est, susceptione Jesus loquitur. » Eandem quoque ponderationem Hugo Cardinalis his verbis insinuat: « Verba Dei amat et cum devotione recipit; vos non auditis, id est, auditui tradere et obedire contemnitis. »

2. — Facile credibile est, quod quisquis verbum Dei non tam auribus quam corde libenter auscultat, ad Deum pertinere, deque numero electorum existat. Unde Dionysius Carthusianus hunc in modum discursit: S. Joannes, I Ep., III, 9, scribit: *Qui natus est a Deo, non peccat, quoniam semen Dei manet in illo*; semen vero istud, in cujus virtute anima ab offensa Dei abstinere, aliud non est quam verbum Dei: *Semen est verbum Dei*, ac proinde sancte gloriatur Psalmista dicens: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi*; qui idem Carthusianus extaticus hæc de re practicum quamdam similitudinem adducit dicens: « Unusquisque libenter audit de re, quam diligit; qui ergo diligit Deum et vitam beatam, verba Dei libenter audit et affectuose conservat, et in hoc salus nostra consistit; debemus ergo verba sacra cum magna attentione, intima affectione, humili reverentia legere, audire, proferre, tanquam epistolas nobis divinitus missas. »

3. — Beda, in *Joan.*, ait: « Interroget se unusquisque, si verba Dei in auro cordis percipit, et intelligit unde sit. Cœlestem patriam desiderare veritas jubet, carnis desideria contere, mundi gloriam declinare, aliena non rapere, propria largiri; penset ergo apud se unusquisque vestrum, si hæc vox Dei in cordis ejus auro convalluit et quia jam ex Deo sit, agnoscat. »

4. — Idem ille Deus, qui se Paradisi portam esse dixit, *Joan.*, x, 9: *Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur*, idem, inquam, similiter dixit signum, unde quis electus ad gloriam dignoscere possit esse, si quis vocem ejus libenter audiat, *Joan.*, x, 27: *Oves meæ vocem meam audiunt et ego vocem æternam do eis*. Mystica profecto fuit illa numeris oblatio, quam Jobo in prosperitatis et salutis statum restituto, subditi ejus fecerant, *Job.*, XLII, 11: *Declaravit et unusquisque vocem unam et invicem vicariam unam*; et quidem facile est intelligere, cur quilibet

ei ovem unam obtulerit, quia illis temporibus facultates meliores non consistebant in monetis aureis vel argenteis, sed in rebus fructiferis et specialiter in gregebus et armentis; sed quodnam in eo latet mysterium, quod huic animali maures junxit: *Omnia in figura contingebant*; et ideo per hoc denotabatur, quod quælibet anima predestinata, cujus ovis symbolum existit, promptas et faciles Dei verbo aures præbere debeat, quia: *Qui ex Deo est, verba Dei audit; oves meæ vocem audiunt*. « Habent divina verba, » inquit Didacus Stella, « nescio quod divini et paterni amoris, quod audientes Filii Dei, qui ad æternam beatitudinem destinati sunt, in ipsis agnoscent, gaudent et exultant. »

Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

5. — S. Bonaventura hic ait: « Causam subdit, quia non erant ex Deo, quasi enim naturale est et delectabile cuilibet audire verba paterna et ideo qui ex Deo est, delectabiliter audit verba Dei; omnis qui ex veritate est, audit vocem meam. » Nimirum insinuare illis voluit, inquit Salmeron, quod culpa propria veritatem non recipiebant: « Quia qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis; » idque hic Auctor in ipsis post tot sæcula adimpletum esse his verbis ostendit: « Judæi enim hodie sine veritate, sine Christo sunt, edunt siliquas porcorum, vescuntur Thalmudeis et cabalisticis figmentis, intendunt fabulis et genealogiis interminatis; denique verbum Evangelicum non audiunt, quia ex Deo non sunt. »

6. — Dionysius Carthusianus magnam nobis in eo consolationem positam esse dicit, quod in hæc vita presentem, in qua nemo certo scire potest: « An amore, an odio dignus sit, aliquid saltem ex ore veritatis depromptum habeamus prædestinationis nostræ signum. Contulit magnam spem confidendi, quod sunt in statu salutis et Filii Dei, quia experiuntur se verba Dei libenter audire, frequenter revolvere et custodire, propter quod probabiliter scire possunt, quod sunt in charitate et gratia. » Cujus contrarium est in reprobis, qui verbum Dei audiendi, legendi et meditandi tædium et nansam habent. Unde S. Augustinus a S. Bernardo citatus ait: « Sicut nullum est majus signum prædestinationis æternæ quam Dei verba libenter audire, sic nullum pejus signum quam illa contemnere. » In parabola de semine, per quod verbum Dei significatur, legitur: *Veniit diabolus, et tollit verbum de corde eorum*; quoniam putas sine id facit? ut damentur: *Ne credentes salvi fiant*.

7. — Divinus ille Pastor de ovibus loquens, *Joan.*, x, 14, de iisdem dicit: *Cognosco oves meas et cognoscent me meæ*; oves pastorem ex voce ejus agnoscent, eidemque prompte obediunt. Christus in *cap.* VIII, 43, S. Joannis Judæos incredulos inter-

rogavit: *Quare loquelam meam non cognoscitis? quia non potestis audire sermonem meum; vos ex patre diaboli estis et desideria patris vestri vultis facere*. Et quidem veritas isthæc in Actibus Apostolicis, XII, 7, manifeste exprimitur; ibi namque refertur Sergium audiendi prædicationem SS. Pauli et Barnabæ valde fuisse cupidum: *Desiderabat audire verbum Dei; resistebat autem Elymas Magnus*; quoniam vero epitheto S. Paulus Apostolus hunc appellavit: *O plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli*. In eodem *cap.* XIII, 46, Actuum, quando idem Apostolus coram toto Hebraismo in hæc verba protestatus fuit: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellit illud, ecce convertimur ad gentes*, consideratio quædam occurrit, quod uno eodemque tempore simul et semel, quo hi verbum Dei repudiabant, Deus quoque illis dorsum obvertit et ab æterna vita eos excludit: Indignos vos iudicatis æternæ vite. Eadem illa sonora Spiritus Sancti tuba, de qua dictum fuit: *Vas electionis est mihi iste*, dum in Athenarum Areopago verbum Dei annuntiaret, paucos habuit ex auditoribus, qui coram Evangelio recipiendo expanderent, *Act.*, XVII, 43: *Quidam vero adhaerentes ei crediderunt, in quibus et Dionysius Areopagita et mulier nomine Damaris*; alii vero in cæcitate sua obstinate remanserunt, quia tametsi verbum Dei auditu corporali perciperent, non tamen illud in interiori cordis auditu exceperant: *Quidam quidem iridebant, quidam vero dicebant: audiemus te de hoc iterum, et sic Paulus exivit de medio eorum*, neque enim ad electorum numerum pertinebant: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Ego ad hoc natus sum*, inquit Christus et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: qui est ex veritate audit vocem meam; hi auditum suum veritati accommodare non poterant. Quod si leoni herbam ostenderis, tametsi illa viridis sit, ejus tamen appetitum nequaquam extimulat, eo quod non sit naturale illius nutrimentum; si bovi vel ovi carnem proposueris, multo minus ad manducandum proritat, eo quod hæc animalia herbis pascantur, eodem modo si perveris et reprobis hominibus de Deo, vel æternæ animæ salute locutus fueris, non intelligent quid dicas, haud secus ac si peregrino aliquo idiomate loquereris: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*; quod si autem iisdem de mundanis emolumentis, vel aliis rebus profanis, quibus delectantur, loqui cœperis, eosdem te avide et perlibenter auscultantes reperies.

8. — S. Thomas varias adducit verbum Dei auditum differentias: « Quidam sunt, qui præcepta Dei, nec auro corporis, id est, exteriori auditu dignantur audire, de quibus, *Psal.* LVII, 5: *Sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas*; quidam sunt, qui hæc quidem corporis auro percipiunt, sed nullo ea mentis desiderio complectuntur, non

« habentes voluntatem implendi, *Ezech.*, XXXIII, 31: *Audiant sermones tuos, etc.*, quidam autem sunt, qui libenter verba Dei suscipiunt, ita ut etiam in « fletibus compungantur, sed post lachrymarum « tempus vel tribulationibus oppressi, vel affecti « deliciis, ad iniquitatem redeunt. »

#### Additiones.

a. — *Qui ex Deo est, verba Dei audit*. Unum ex iis in quibus melius cognoscitur qui ex Deo est, est audire verbum divinum cum attentione, affectu et fortissimo proposito exequendi illud: sicut enim medicatur venator loquens de astutiis venationis, et delectatur, de herbarum proprietatibus deceptans, et multa de infortanibus et merationibus agens oblectatur, ita etiam qui ex Deo est, summa voluptate afficitur, cum de Deo loquitur et audit. Et sicut gallinam optime conditam, si in ore asini posueris, non illam comedit, etsi optimus sit cibus; si autem illi hordeum, aut forraginem dederis, libentissime manducabit: ita cum aliquo filio hujus sæculi de cœlestibus rebus dissereris, enique admonueris, ut ad peccata sua quotidie lamentanda, in angulum sui se cubituli recipiat, atque ut illorum veniam a Domino postulet, acceptaque beneficia consideret, etc., nihil efficias, tanquam cum surdo locutus; hæc enim illi displicent, quia de sæculo est, lusus vero et deceptions placent. Ha contra qui de Deo est, admonitiones, salubriora consilia, quibus ad Dei amorem stimulari, ardent et placent. Et hoc signum evidens est eundem ad gloriam electum Deique spiritum in se habere, cujus spiritus et natura est ut carnalia opera fastidians, spiritualibus rebus, ac maxime divinis elogiis delectetur.

b. — Ad hæc nostra verba Evangelii, ait S. Gregorius, *Hom.* XVIII: « Sunt nonnulli, qui libenter verba Dei suscipiunt, ita ut etiam in fletibus compungantur; sed post lachrymarum tempus ad iniquitatem redeunt; hi profecto verba Dei non audiunt, quia hæc in opere exercere contemnant. » Is enim vere auribus fidem per Dei verbum percipit, qui simul manus operi conjungit. S. Augustinus, *lib. de fide et operibus*, observat quod tria Iudeorum millia per primam S. Petri prædicationem ad fidem conversa dixisse leguntur; dicit enim sacer textus, *Act.*, II, 23: *His auditis compuncti sunt corde et dixerunt ad Petrum, et ad reliquos Apostolos: Quid faciemus, viri fratres? At vero quidnam primum Christi in terris vicarium respondisse existimatis? Num forte sufficere dixit, si in novam gratie legem credentes, verbi Dei prædicationem libenti animo audirent et sacrosanctum Baptismi lavacrum suscipere? Minime; quin potius, ait Petrus ad illos: *Pœnitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum*. Fides enim sine operibus est illa ficus, cui Dominus maledixit, quæ non fecerat fructum, et arefacta est.*



c. — Si in ullo hominum genere periculum quoddam est verbum Dei non audiendi nec observandi, sunt profecto divites et avari, quibus unicuique in particulari per Prophetam minatur dicens: *Septim aures tuas spinis*. Verè enim spinæ sunt divitiæ, quibus dum aures sunt circumseptæ, verbi Dei auditum et conservationem impediunt; tam enim fortiter præsentis vitæ prosperitates a Deo nos seducant. Oas Rex, in principio regni sui, magnam optimi futuri regiminis, summæque exemplaritatis securitatem spem et fiduciam omnibus ingererat. At vero mox ut generosum potensque imperii deliciarum, terrenarumque prosperitatum vinum degustavit et bibit, pariter delirare mox cepit: *Cum roboratus esset, elevatum est cor ejus in interitum suum et neglexit Dominum Deum suum*. Ubi D. Chrysostomus observat quod Spiritus Sanctus non solum ipsum in superbiam elatum fuisse dicat, verum insuper rationem cur id fecerit assignet: « *Cum potens esset, inquit, elevatum est cor ejus*. Non « ferebat principatus magnitudinem; sed quemadmodum ex elacitate nascitur ignea inflatio, « gignitur febris, deinde ex febris plerumque mors, « illudem et hic ex rerum abundantia, nota est « superbia. »

d. — Quis est qui Dei spiritu agitur, Deumque sequitur et verba Dei in se cum fructu audita non monstrat? Sane in quo Dei apparent operationes, quibus præcordia moventur, arantur, Verbum Dei cum non minimo fructu appareat. In Canticis, v, 2, Dominus aiebat: *Aperi mihi soror mea, propinqua mea, columba mea, perfecta mea*. Prius soror Dei et columba fit, observat S. Gregorius Nyssenus, tandem perfecta est. Sed scire cupis unde singula hæc acciderint Sponse. Pulchre in rem præsentem S. Augustinus, *tract. lvi in Joan.*, fatur: « *Aperi mihi « de sanguine meo soror mea, de accessu meo « proxima mea, de spiritu meo columba mea, de « sermone meo quem plenus ex otio didicisti, per- « facta mea.* » Prius ex sanguine effuso et participato fit Dei soror; deinde ex appropinquante Deo fit propinqua Dei; rursus Dei spiritus impulsu agitata volat ut columba; tandem divinam sermonem audit, qui illam reddidit perfectam. Et semel et ter volvitur terra sub agricola manu, ut fecundum excipiat semen, quod divites parturialis segetes; et semel et iter homo volvitur, præparetur a Deo, ejusque spiritu agitur et tunc de verbo Dei pene summum accipit perfectionis argumentum. Sic et lectio librorum spiritualium, seu verborum Dei, nisi illam ad profectum nostrum ordinemus, perniciose nobis potius quam utilis erit.

e. — *Prophetea vos non auditis quia ex Deo non estis*. Acute Thomas Beauxamis Carmelita hic inquit: « Sed numquid non in synagogis suis Moyses et Prophetas audiebant? Num non eos legebant? « Audiebant quidem, sed aure corporis, litteræ

« addicti, non ad ea quæ dicerentur, tota anima « attendentes. Nam sive de Messia agebat lex, non « adverterunt completa omnia quæ de ipso sunt, « oculis suis. Sive de ceremoniis legalibus, hæc « tantum carnaliter interpretabantur. Sive de præ- « ceptis legalibus, ea suis traditionibus perverte- « bant, ut proinde de his optime locutus fuerit « Spiritus Sanctus, per Isaiam, v: *Vade ad popu- « lum illum et dic: Aure audietis et non intelligetis; « et videntes videbitis et non perspicietis. Incrassa- « tum est enim cor populi hujus et oculos suos con- « presserunt, ne forte videant oculis, et auribus « audiant, et corde intelligant, et convertantur et « sanem eos.* » Quod plane idem est ac verbum Dei non audire, imo illud contemnere; quales proinde ex Deo esse non possunt, sed æternum reprobi.

f. — Tanta semper fuit illorum infelicissimum Judæorum rebellio, ac protervia, ut nec Propheta, nec Prophetarum Dominus salubrem celestemque doctrinam imprimere poterit. Cujus malitie rationem hic Dominus reddit dicens: *Propterea vos non auditis quia ex Deo non estis*. O rigorosum verbum! nam cum omnes gentes originem ex Deo se habere fateantur quale hominum genus est quod ex Deo non est? Responso in prompta est, scilicet discordes et jurgiorum seminatores; hi enim non sunt filii Dei sed diaboli. S. Gregorius Magnus præclare inquit: « *Audiant jurgiorum « seminatores, quod scriptum est: Beati pacifici, « quoniam filii Dei vocabuntur*. Atqui diverso colli- « gant, quia si filii Dei vocantur qui pacem faciunt, « procul dubio Satane sunt filii, qui confundunt. « Omnes autem qui per discordiam separantur, a « viriditate dilectionis arefiunt. » Bene igitur ponderanda est ignominiosa hæc nota hominum contentiosorum, quod scilicet filii reputentur diaboli, qui dissensiones et discordias nutriunt; quemadmodum e contra nobilissime divine filiationis caractere insigniti sunt, qui pacem diligunt et fovent.

g. — Assignat hic Dominus causam cur Judæi non ipsum sed diabolum tanquam suum parentem sequantur. Quod sic explicat S. Augustinus, *tract. lxxii*: « *Sunt isti natura a Deo, vita non a Deo.* » Nam ut S. Joannes, *I Eps.*, iii, ait: *Omnis qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. Omnis autem qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet*. Semen autem est verbum Dei, et ideo non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. *In hoc manifesti sunt filii Dei et filii diaboli*, scilicet, ut exponit Lyranus, quod hi non peccant mortaliter, alii vero fiant filii diaboli propter operationem peccati; quam filiationem homo sibi acquirit, non ex prædestinatione, aut reprobatione, sed ex propria sua obstinatione.

## VERSUS 48.

*Responderunt ergo Judæi et dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu et dæmonium habes?*

*Dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos?*

1. — In hoc eorum presumptio temeraria patet. « *Et tamen se bene dicere asserchant; talis enim est « fatuitas stultorum et arrogantium, qui videntur « sibi sapientes.* »

2. — S. Cyrillus, *lib. VIII in Joan.*, illos ira et odio excecatos fuisse dicit: « *Tanquam furorè exa- « gitati prorumpunt in injurias, et falsis cum pro- « bris lacessunt, quia vera, que illi possent inge- « rere, non inveniunt.* » Apostolus quidem Festum convicit, fidei tamen illum non comparavit; quin potius ipse, dum responderè non posset, confusus existens, ad injurias recurrit, *Act.*, xxvi, 24: *Magna voce dixit: insanis Paule, multæ te litteræ ad insaniam convertunt*. Unde Cassiodorus dicit: « *At in- « jurias tunc prosiliunt, cum se superatos turpiter « erubescunt.* » Lucas Brugensis eandem assert considerationem, dum Judæos ex Christi reprehensionibus, quas pro injuriis et irrogatis sibi contumeliis habebant, exasperatos esse notat: « *Tanquam læcessiti pluribus injuriis, more in- « sensatorum, qui justas correptiones non ferunt, « ad insana maledicta confugiunt, seque non ex « Deo, sed diabolo patre esse rebus ipsis osten- « dunt.* » Idem quoque hanc contumeliam ex festidit eorum oribus non ex impetu iræ, sed præmeditate in Christum evomit esse observat, id quod majus ipsorum odium et malignitatem indicabat, siquidem dixerunt: « *Nonne bene dicimus nos?* » ergo « non tantum per modum contumeliæ cujusdam « iracunde ac temere obijciunt hæc Christo, verum « etiam per modum diu meditatæ affirmationis. »

*Quia Samaritanus es tu.*

3. — Id est, hæreticus quidam, « exponit Carthusianus; et Albertus Magnus legit: « *Alienus a lege « divina;* » vel etiam ideo illum Samaritanum vocant, quia in Samaria cum applausu totius civitatis prædicaverat; postquam mulierem illam Samaritanam peccatricem convertit. Præterea dicit idem Albertus: « *Quia indicabant quod aliquid de lege « reciperet, et alia quædam abjiceret; tertio quia « in parabolis Samaritanos laudavit et extulit in « miraculis.* »

*Et dæmonium habes.*

4. — Quod insana et absona eum loqui judicarent, inquit Jansenius, « cum illos dicebat ex « patre diabolo, et non ex Deo esse; » qui idem Auctor ad hoc se reflectit, quod nulli in capite se-

quenti de ipso dixerint: *Dæmonium habet, et insanit, quid eum auditis?*

5. — Quid autem dicere voluerint, dum illum dæmonium habere asseruerunt, Dionysius Carthusianus his verbis exponit: « *Cujus relatione et ad- « jutorio dicit, et facis alta ac mira, quæ alii te fa- « cere et dicere putant virtute divina; hoc perversi « dixerunt, quoniam aliter salvare non poterant, « quomodo tot mirabilia facere, totque secreta et « futura reserare, et tam subtilia atque profunda « docere non instructus ab homine posset, nisi quod « vel a Deo, vel a diabolo hoc haberet.* » Rationem autem, cur illa supernaturalia opera non in meliorem partem interpretati fuerint, id est, quod hæc tam insignia dona a Deo haberet, idem Extaticus Doctor hanc assignat, dicens: « *Noluerunt credere, « quod haberet ea a Deo, propter nimiam displi- « centiam atque invidiam, quam conceperant in « eum, ideo omnia talia deputabant diabolo.* »

## Additiones.

a. — *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu et dæmonium habes*. Cum multa modestia et mansuetudine dixerit Christum in sua concione: *Quis ex vobis arguit me de peccato?* summam mansuetudinem ac innocentiam Christi injuriis aggressi diuntur: sed quid hoc sibi vult? injuriando Christum dæmonium habere dicunt? A dæmonio injuriam ordiuntur Judæi quia hæc a dæmone instigante profeticebantur; idcirco etiam subitum ad dæmonem habebant reflexionem. Autor enim et instigator injuriarum dæmon est; ac proinde pessima hæc zizaniam ad ignem infernalem sunt destinata. Profrosior dari non poterat insultus, quam ille quo Britius prælatum quemdam suum adeo sanetum, adeoque dignum, qualis S. Martinus erat, aggressus fuit. Attamen omnes ab illo sibi irrogatas injurias, S. Præsul patienter ferebat, quia ut ejus historia nobis fidem facit, prope Britium duos dæmones conspicebat, qui illum ad opprobria S. Martino inferenda irritabant et accendebant. Filii Sarviæ quondam extimulabant David ut de Semei insolentia ultionem sumeret; sed qualiter mansuetissimus Rex eos placarit audiat velim: *Quid mihi et vobis, filii Sarviæ? cur effecimini mihi hodie in Satan?* Illos enim qui ad ulciscendas injurias provocabant, Satane partes subire censebat, quandoquidem aliud non meditatur Satan, quam zizaniam odii, rancoris, injuriarum, inimicitiarum, rixarum seminare, ut pote de quo dicitur: *Ille homicida erat ab initio, armans Cainum contra innocentem Abel*. Neque dubium consequenter esse potest, quin hæc zizaniam ignis infernalis sint esca, ut evidenter ex miraculis illis deductur Christi verbis, inquit: *Qui autem dixerit: Fatue, reus erit gehennæ ignis*. S. Chrysostomus Apostolos plurimos et celo exclusos numerantem, maledicorum pariter meminisse advertit,



inquiens : « Paulus non adulteros tantum et masculorum concubitores, sed etiam maledicos a regno Dei excludit et merito. Conviciator quippe bonum charitatis omnino corrumpit et mille proximum involvit incommotis, ac iuges inimicitias frequenter operatur; et Christi membra discerpit, ac desiderabilem Deo pacem singulis quasque diebus excludit, amplissimam diabolo viam per convicia parans, eumque facientem fortiorum. »

**b.** — Ecce cum quanta sniisporum confusione Iudaei interrogando dicunt blasphemiam, dicentes : *Nonne bene dicimus nos?* Dubitabant enim adhuc, quia in operibus Christi relucebat divinitas, cui pertinaciter medicam, imo nullam astruebant fidem, et hinc est, quod facili negotio labuntur in blasphemiam. Blasphemia enim modice in Deum fidei iudicium existit, utpote quae fidei opponitur. Valde considerabilis est illa Dei lamentatio, *Isa.*, *l.*, 4 : *Blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum, dereliquerunt Dominum, in qua postquam se ab hominibus blasphemiam operatum fuisse conquisisset, mox quoque illos sibi dorsum obvertentes, a divino ejus cultu abalienatos et ad idolatriam conversos esse lamentatur; id quod Jeremias clarius his verbis expressit : Dicentes ligno : Pater meus es tu, et lapidi : tu me genuisti, verterunt ad me tergum. In Esdra pariter dicitur : Et quidem cum fecissent sibi vitium confutatum et dixerint : Iste est Deus tuus qui educavit te de Aegypto, feceruntque blasphemias magnas. Ex quo apostasiam a Deo, haeresim et infidelitatem, blasphemiae filias et fetus esse deducitur.*

**c.** — Quaestio non levis est, quare Iudaei dixerint Christum daemonium habere. Rationem pulcherrimam dat Leontius : « Daemonium habentem dicunt, tanquam Dei honorem in se derivantem. » Christus praedicavit se Deum esse, Lucifer autem appetivit quod Deus esset, Deique gloriam habere affectavit. Sic fundamentum hujus blasphemiae erat ambitio, a qua tamen Christus immunis erat, quae jure merito demoni ascribitur. Lucifer enim primus ambitiosus fuit, qui ambitionis venenum in caelestem pariter et terrestrem paradisum, imo et in ipsum collegium Apostolicum invexit, ac denique ipsamet Dei Filium per idem vitium infestare praesumpsit. Jam vero, certissimum est, quod, ut S. Basilius optime notat, « qui in hujus vitii potestate est, in eodem plane cum diabolo malo habere rat. » Etenim vitium carnis, gulae, avaritiae, irae, aliisque similia improprie nimis demoni competunt, cum si purus sit spiritus; peccatum vero elationis et superbiae propinquissimum. Et ideo illud S. Hilarii axioma merito in cunctorum ambitiosorum cordibus imprimendum esset, ut ab hac se peste tanto facilius expedire possent, nimirum : « Omnis saeculi honor, diaboli est negotium. »

**d.** — Qui apud Jeremiam, *xi.*, ad lignum crucis

confugiunt, ut opprimant Jesum dicentes : *Mittamus lignum in pacem ejus et erudiamus eum de terra viventium;* nunc ligno praeremisso ad contumelias et convicia descendunt, vocantes Jesum demoniacum et Samaritanum, infidelem, non quidem ejus parentes dolori sed majorem inferentes. Quando enim convicium non durius est omni plaga ut conculcat animum ingenium? Job post honorum amissionem, post mortem filiorum, post incredibiles plagas corporis, hanc emittebat vocem : *Dominus debuit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* Verum ubi ad probra et contumelias audiendas accedit, sic clamat, *cap. xix.*, 2 : *Usquequo affligitis animam meam et alteritis me sermonibus?* Septuaginta legunt : *Et destruxit me sermonibus?* Corpus totum putrescit, adeo ut testa saniem raderet, sed destructionem non meminit; ubi autem ad contumelias subeundas accedit, totum se putat in destructionem vergere. Gravissimum etiam tormentum Christo fuerunt, impropria, ludibria, calumniae, quibus in Calvariae monte affectus fuit.

**e.** — Iudaei dixerunt de Christo Domino, illum esse Samaritanum, ac demonium habere, ut inquit D. Thomas, Tolitus et alii, ut arguant eum de peccato, contra illud quod dixerat : *Quis ex vobis arguit me de peccato?* Mendacis ac contumeliosus est Iudaei contra veritatem opponunt et valde impudenter dicunt eum demonium habere, ac si divina opera, praecleara miracula, infinita sapientia, quae in Christo Domino relucebat, demonio attribuerent, seu arte daemonis edita esse astruerent. O invidiam! potius volebant Iudaei, ut magna Christi opera extraneis, ac alienis Samaritanis, diaboloque etiam attribuerentur, quam Christo Domino, eorum patrio, concivi, amico et consanguineo. Simile quid etiam ipsomet tempore passionis effecerunt; quo ostendit Pilatus Christum Jesum populo dicens : *Ecce Rex vester;* instant clamant omnes : *Crucifige eum.* Tunc ait illis Pilatus : *Regem vestrum crucifigam?* Illi vero magnis vocibus clamant : *Non habemus Regem nisi Caesarem.* *Joan.*, *xiii.*, 13. Res valde mira : Christus Jesus, ipsamet sanctitas ac puritas; Caesar tyrannus vitiosus ac digni membrum. Christus patricius, naturalis ac cognatus; Caesar vero alienus et extraneus; tamen tanto odio Christum prosequabantur, ut potius sibi dominari vellent regem extraneum, tyrannum, diaboli membrum, quam Jesum omni sanctitate, innocentia ac mansuetudine praeclearum.

**f.** — Iudaei cum perspicam veritatem refutare non valerent, quantumvis adulterentur, ad contumelias, ad odia, irrisiones et subsannationes confugiunt, quibus veritatem infuscare videantur. Peccator namque habitatus, quales hi erant, a quo monetur et corrigitur, nequaquam amat, nec estimat, nec ei credit; sed ridet, contemnit et odit. *Non amat pestilens eum qui se corrigit,* dicit Sapiens,

*Prov.*, *xv.*, 12. Quae verba Dionysius Carthusianus ita exponit : « Pestilens, id est, scandalose et publice male vivens, sedet enim in pestilentia cathedra, et habitatus est in sua malitia. » Herodes quidem et ipse praedicator S. Joannis Baptistae, non modicum addictus erat; siquidem, ut dixit sacer textus, *Marc.*, *vi.*, 20 : *Libenter eum audiebat.* Nec est quod existimes, verbum Dei ab illo sine fructu auscultatum fuisse, quin potius adimplebat illud a S. Jacobo deinceps traditum consilium : *Estate factores verbi, et non auditores tantum;* siquidem Evangelista Marcus de illo ait : *Audito illo, multa faciebat :* eum enim tanquam magnae sanctitatis virum, summa in veneratione habebat : *Sciens eum virum justum et sanctum;* magna quoque erga eum ferebatur reverentia et respectu, quia idem sacer textus ait : *Metebatur eum.* Et tamen his omnibus non obstantibus, ex ejusdem Herodis praeepto, S. Joannis Baptistae caput amputatum fuit : *Misso spicatore, praecipit amputari caput Joannis.* At vero undenam obscuro haec tam peregrina ordo est mutatio, ut amore in hunc verso, mors adeo impia homini omnium, non solum in Judaea, sed in universo mundo existens, innocentiissimo et sanctissimo, illata fuerit? Nimirum, non amat pestilens eum qui se corrigit. *Odio habuit corripientem et loquentem perfecte abominatus est.* Quamvis S. Joannes verbum Dei in genere annuntiavit, neminem in specie sensibiliber tangendo, tamen Herodes libenter eum audiebat; at quando zelo obarmatus, scandalosum ejus, cum Herodiade tot annis contumalium incestum reprehendere coepit, mox caput ejus a busto amputari mandavit.

## VERSUS 49.

*Respondit Jesus : Ego daemionium non habeo, sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me.*

*Respondit Jesus : Ego daemionium non habeo.*

**1.** — Duo fuerunt praecipua assertarum adversus ipsum injuriarum capita, siquidem ipsum primo Samaritanum, deinde vero demoniacum appellarunt; cur igitur ad illas respondens se solum de secunda, non vero de prima calumnia purgat et tuctur? S. Bonaventura S. Gregorii expositionem adducens, dicit : « Unum negavit, quod non habuit daemionium, alterum tacendo consensit, scilicet se esse Samaritanum, qui custos interpretatur, eo quod ipse vere custos est. *Custos quid de nocte? Nisi Domini custodierit civitatem.* » S. Thomas observat, quod quia tempus illud advenerat, in quo sub uno pastore unum futurum erat ovile, Judaeique pariter cum gentibus sub eadem erant uniendi : « Ideo Dominus, ut ostendat se venisse pro salute omnium non negavit se esse Samaritanum, ut magis quam Paulus, omnibus omnia factus, omnes

maneat. » Idem quoque Angelicus Doctor aliam jam a nobis insinuatam rationem assignat, nimirum, quia Samaritanus idem est, quod *Custos*, ipse autem praecipue custos noster est secundum illud, *Psal.*, *cxx.*, 4 : *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.* »

**2.** — Aliud quoddam ab Alberto Magno motivum adducitur, dicit enim : « Per hoc quod daemionium eum habere dicebant, Spiritui gratiae, qui ab ipso procedit, contumeliam faciebant et ideo negavit, et correxit, sed per hoc, quod eum Samaritanum dicebant, sibi humanam generationem attribuiebant. » Unde salutare hoc deducit documentum, quod videlicet injurias Deo et proximis nostris illatas iniquissime ferre, eorumque honorem et innocentiam defendere debeamus, mansuetos vero nos ex alia parte exhibere, actionesque quae personam nostram privatim contingunt, patienter dissimulare debeamus. Unde Theophylactus ait : « Cum seipos filios Dei dicerent, vehementer eas coarguit, veritatem vindicans; quando autem ipsum injuria afficiunt, non ulciscitur; docens etiam nos, quae contra Deum sunt, vindicare; quae autem contra nos, mansueti sive ferre, sicut et ipse mansuetus dixit : *Ego daemionium non habeo, sed honoro Patrem meum.* »

**3.** — Toletus Christum in hoc se ab injuria et calumnia, per Samaritanum nomen illata justificasse existimat, dum se aeternum Patrem suum honorificare asseruit : « Hoc verbo, honorifico Patrem meum, confirmat se daemionium non habere et simul Samaritanum esse refellit. » Non quidem ei, quod natione Samaritanus esse objiciebant, nimis enim probe ipsum Nazarenum esse sciebant, *sed moribus et studiis;* ideoque dicendo se daemionium non habere, sed aeterni Patris sui gloriam et honorem zelare, simul quoque eodem tempore se Samaritanum moribus non esse justificabat : « Propterea Christus rem ipsam considerans respondit : *Honorifico Patrem meum, quod Samaritanus non facit.* » Idem quoque S. Hieronymus citat, qui Christum ex alio quoque motivo Samaritanum se esse non negasse asserit, nimirum : « Ut se illum verum Samaritanum ostenderet, qui in parabola, *Luc.*, *x.*, significatus est, qui alligavit vulnora jaecentis in via. » Ad haec Toletus dicit : « Ut etiam se esse ostenderet qui omnibus omnia factus est, ut omnes lucrificeret, iis qui sine lege erant, tanquam sine lege esset. » Hugo Cardinalis ideo Christum ad injurias Samaritanis nihil respondisse existimat, quia nomen hoc scientia et conceptu suo minime injuriosum esse sciebat. « Non reputavit hoc opprobrium, nec negavit, ne significare videretur, quod ipsi essent despiciendi, quod putabat, neminem enim despiciet Christum, qui dicit : *Non veni vocare justos, sed peccatores.* »

**4.** — S. Thomas, in *Joan.*, insinuat solum Dei